

Liber II

Omelia XIX

Agna legentium debet esse discretio: ut in sacro eloquio cum quilibet unus sermo dicitur: non semper unam eandem rem significare credat. Sicut aliquando sol in bono: aliquando vero accipitur in malo. Solis etiam nomine aliquando signatur dominus: aliquando persecutio. Atestate autem libro sapientie: in inferno impij dicturi sunt. Erantimus a via veritatis: et sol iusticie non luxit nobis. Sapient. 5. Et de lactis seminibus dominus dicit: Orto sole aruerunt. Marci. 4. Quia videlicet facta persecutio: in reproborum cordibus predicatiois verba siccant. Sic leo dominum signat. Unde scriptum est. Aicit leo de tribu iuda. Apocal. 5. Sic leonis nomine diaboli similitudo exprimitur: sicut per primum pastorem dicit. Adversarius vester dyabolus sicut leo rugiens circuit: querens quem devoret. 1. Petri. 5. Sic bouis nomine sapiens designatur. Unde scriptum est. Non iuges bouem et asinum: id est sapientem cum stulto in predicatione non socios. Deut. 22. Sic per bouem fatuus figuratur: sicut de eo qui in turpitudine amoris captus est dicit: Statimque eam sequitur: quasi bos ductus ad victimam: id est sicut fatuus trahitur ad mortem. Proverb. 7. Hec igitur dixi: ne quia porta significare dominum: vel predicatorum: vel scripturam sacram: vel fidem exposui. Ubi cumque iam in hoc propheta porta legitur: significare aliud non credat. Cum enim de una porta propheta loqueretur: recte fides intellecta est: quia una est omnium electorum fides. Cum vero alie porte nominantur: intelligi ora predicatorum possunt: per que vera vita cognoscitur: et per que ascenditur ad sacramentorum spiritualium cognitionem. Nam portam per quam significare fidem diximus: notandum nobis est quia inferior appellatur. In hac enim vita dum sumus quasi in imo positi adhuc inferius tenemur. Et recte inferior porta fides est: quia nobis in terra positis aperit cognitionem dei. Itaque nunc dicitur.

Portam quoque que respicie-

bat viam aquilonis atrij exterioris mensus est: tam in longitudine quam in latitudine: et thalamos eius tres hinc: et tres inde. Et frontes eius et vestibulum eius secundum mensuram porte prioris quinquaginta cubitozum: longitudinem eius et latitudinem viginti et quinque cubitozum. Fenestre autem eius et vestibulum sculpture secundum mensuram porte que respiciebat ad orientem: et septem graduum erat ascensus eius et vestibulum ante eam.]

De porta que respiciebat viam aquilonis atrij exterioris: eadem replicant que iam de porta alia superiori dicta sunt: atque alia subiunguntur que de predicta porta propheta tacuerat. Et ergo de his latius disseramus: que necdum discussa sunt: debemus ea que dicta sunt sub breuitate replicare. Porta enim viam aquilonis respicit: cum predicator quisque vitam peccatoris agnoscit: eius interiora vite per verbum predicationis aperit: que porta atrij exterioris dicitur. Exterioris quippe est atrium vita presentis in qua omne quod corporaliter agit: corporaliter etiam videtur. Que tam in longitudine quam in latitudine mensuratur: quia cum ad fidem peccatorum ducit: necesse est ut eius doctor consideret vel quantum in longitudinem spei vel quantum in latitudinem charitatis ex eius admonitione proficiat. Qui enim ad deum convertitur: si adhuc bona vite presentis sperat: longitudinem non habet: quia brevis est vita in qua spem posuit. Si per terrenorum concupiscentiam et adhuc proximi odio coangustatur: latitudinem non habet: quia nescit vel transitoria contemnere: vel se in proximi amore dilatare. Cum vero conversus quisque eterne vite